
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK


Signatur: Leibn. Marg. 29:ZEN Leibn. Marg. 29, [1] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [2] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [3] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [4] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [5] - -

PUBLIC DOMAIN

Vert.: John Sergeant

Concordia scientiæ cum fide p. 22

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [6] - -

PUBLIC DOMAIN

STATERA APPENSA

QVOAD

Salutis assequendæ facilitatem

AUTHORE I. S.

Quam angusta porta. & arcta via est
quæ ducit ad vitam: & pauci
sunt, qui inveniunt
eam.

Mat. 7. v. 14.

LONDINI.
Anno salutis M DCLXI.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [7] - -
PUBLIC DOMAIN

BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [8] - -

PUBLIC DOMAIN

Ad Theologos nostri sæculi

PRÆFATIO.

QUin agamus, eximii Sapientiæ Præstites; si quid vel famæ nostræ vel ipsius Ecclesiæ nos cura tangat, agamus. Exoritur (si famæ credatur) Stagirita novus tot intercurrentium sæculorum experientiâ maturior, cœlitùs derivatis Fidei doctrinis illuminatior, longævioris industria superior, magnisque ut passim jactatur animi dotibus antiquo illi nequaquam cedens. Novitates

doctrinæ hactenus inauditas ubique proſeminat, Modernarũ Scholarum placitis non paucis ſe opponit, imò earum vel fundamina ſubvertere molitur; quodque audaciſſimum eſt, dum hæc agit, *Scientiam* profitetur; ſéque à Principiis per ſe notiſſimis neceſſarias ſequelas ducere, immediatiſque hiſce notionum nexibus Doctrinæ ſuæ texere ſeriem non veretur aſſerere. Hoc eſt, certitudine ſcientificâ conſtare proclamat totas pænè quantæquantæ ſunt modernorum Scholas ſæpiſſimè & turpiſsimè errare.

——*Pudet*

Præfatio

——Pudet hæc opprobria nobis
Vel dici potuisse. ——

2 Diu jam *Clamoribus* contra ipsum actum est. Crescit, veluti Palma, sub istiusmodi pondere: Dicteriorum siquidem copiam Argumentorum inopiam satis apertè significare prudentiores jam nôrunt. Vnde, cùm rumusculis istiusmodi, in populo dissèminatis ubique ingeminatisque, tanquam tot incitamentis, ad Opera ipsius legenda sollicitentur docti, ibique comperiant ipsum solis Ratio-

Rationibus agere, rumores verò istos nullis prorsus comitatos obambulare, suspicantur prudentes nullas penitus rationes ipsi opponi posse, idque vel ejus Adversarios hujusmodi gestis fateri.

3 Riserunt aliqui hominem quòd evidentiam jactet, cùm tamen perobscurè ipsum scribere quotquot eum legant, queritentur. Respondet ille, se brevitati scientiarum traditoribus aptæ studere; Theologos in causa esse quòd obscura maneant ipsius scripta, dum sese explicandi ansam præbere refugiunt. Addit vel doctos eum intelligere posse; unde &, si errores scribat,

bat, ipſum confutare in proclivi eſt; vel non intelligere, & ſic neque debere ipſi occlamitare; cùm peſſimus ſit animi morbus calumniari quod neſcis.

4. Increbuerunt ſæpiuſcule rumores comminatam eſſe doctam illam Societatem ſe contra D. Albii Opera ſtricturam calamum. Hoc idem ab iis maxime exſpectabant omnes, ut quos præcipue ac pæne unice ſcriptis ſuis laceſſiverat. Attamen, ſive ex motivis prudentialibus ſuppreſſi ſint libri illi jam ſcripti, ſive nulli omnino ſcripti fuerint, nihil dum editum eſt, Hic triumphat maxime D. Albius,

&

& cauſam ſuam hoc diſcurſu tueri ſolet ; Minas illas quas intentabant, clamores quibus ipſi paſſim obſtrepebant manifeſta eſſe indicia non defuiſſe *voluntatem* illum confutandi : Neque eo genio eſſe P P. Societatis ut quicquam famâ ſuâ charius habeant; unde evidenter conſtare ſolam iis defuiſſe *potentiam*, poſtquam ad tam inſignem ignominiam propellendam adeò tardi extiterint.

5. Sententiam, quam tuetur, de Purgatorii diuturnitate, vernaculo idiomate impugnârunt bini inter

inter noſtrates Theologi; Quorum alter ſcommatibus evanuit. Alter verò, quantum quidem ſibi ſcribendum propoſuit, uti virum graviſſimum ac doctiſsimum decebat Theologum, proſecutus eſt. Atque utinam perinſigni illi Authori ſuppetiiſſet otium ad integri *de medio Animarum ſtatu* Tractatûs confutationem aggrediendam. Nam dum nonnihil potius de materiâ illâ ſcribere ipſi in animo erat, quàm totam de eâ re doctrinam convellere, ab ipſisque, quibus innitebatur, ſubvertere fundamentis; non dubitat D. Albius

D. Albius pro ſe allegare, utcunque gnaviter à doctiſſimo illo viro, pro tenui copiarum quas attulit vi ac numero, velitatum contendant aliqui, denſiſſimam tamen Rationum Authoritatumque in tractatu illo conglobatarum, phalangem integram adhuc intactamque relinqui.

5 Dudum quoque, me incitante, Luſitanus quidam, vir apprime eruditus mihique valde amicus, libro pereleganti illum laceſſivit. Reſponſum dedit D. Albius *Tabulæ ſuffragiales* dictum, adjunxitque *Teſſeræ Romanæ evulgationem*; cui, Replicæ vice, *D. Macedo* (erat id Luſitano nomen)

Prohibiti-

Prohibitionem oppoſuit, amicorum ſuorũ ope(ut fama eſt) à Sacra Congregatione impetratam, In hoc quidem laudandus præclarus ille vir quod rem Eccleſiæ tribunali detulerit; conſultius verò feciſſe eum arbitror ſi Adverſarium prius rationibus proſtrâſſet; deinde, ne Antæi more reſurgere valeret, ſuperiniecto Authoritatis pondere oppreſſum detinuiſſet.

6 Alius etiam D. Albii Tractatus prohibitus fuit; non dubium quin ex prudentia fidelibus veneranda, imo verenda, profecta ſit Cenſura: Curioſioribus verò ſciſcitantibus ubi lateat Libri illius:

illius culpa reſponſum dare, opus eſt Theologorum: Nemo hactenùs ‹ledit: unde inopportunitatem forſan doctrinæ, non Falſitatem, his Prohibitionibus feriri pronum eſt D. Albio obtendere.

7 Viginti duas ejuſdem Propoſitiones ex Inſtitutionibus Sacris (ut aiunt) excerptas, cenſuris *reſpectivis* nuper confixerunt Doctores quidam *Duaceni*. Malo profectò ut metuo, omine, niſi rationibus factum tueantur! Dum enim vagam & nulli uni ex Theſibus determinatam aliquam aſſignârint Cenſuram, illos manifeſte Theologorum officio prævaricatos, editâ Supplicatione poſtulativâ

Iuſti-

Iuſtitiæ ubiq; proclamat D. Albius: Vnde niſi Dubiis quæ adverſus ſingulas Cenſuras propoſuit ille, ſolidis rationibus ſatisfecerint Duaceni, non delendam ignominiam Academiæ ſuæ inuſſiſſe eos, immenſãq; D. Albio gloriam cumulaviſſe non pauci dolebunt.

8 Edidit nuper Librum *Statera Morum* inſcriptum, numeroſiſſimis novitatibus refertum. Reprobârunt illum literis ſuis ad Ill^mum. Internunciũ Bruxellenſem ſcriptis R^mi Archiepiſcopus Mechlinienſis & Epiſcopus Antuerpienſis. Preclare illi quidem pro zelo quo Sanctiſsimã Sedẽ proſequuntur. At efficacius forſan fuiſſet prius

prius mandâſſent Theologis ut Librum oſtenderent eſſe cenſura dignum quã cenſuris eundem perculiſſent, Nam ſi jure liberi hominis (quo eſt genio) uſus D. Albius injuriam ſibi factam quereretur, poſtularetq; ut oſtenderetur in quo male ſcripſiſſet, vel eò deveniendum eſt ut liber ille à Theologis oppugnari debeat, vel hanc RR^morum D.D^orum declarationem favori indultam non Rationis inductu ipſis perſuaſam in proclivi eſt D. Albii fautoribus calumniari, & naſutioribus etiam revera ſic ſe rem habuiſſe ſubodorare: Quod graviſſimæ tantorum virorum Authoritate non nihil detrahere poterit. 9 Ve-

9 Venit huc in Britanniam noſtram vir quidam magni apud ſuos loci atque ordinis, quique Cenſuram ab eximiis dominis Duacenſibus extorſiſſe dicitur ; Is alia prorſus via D. Albium oppugnandum putavit : Totus enim in eo erat ut ad ſubſcribendum contra doctrinam ipſius etiam eos qui nunquam eam legerant, imo aliquos ſimpliciores qui vix de ea unquam audiverant, perpelleret. Sed, quia impudentiſſimum & ſeditioſum erat hominem privatum & nulla penitus in eo regno authoritate Fultum talia à Sacerdotibus ibi de gentibus exigere ; cùm inauditum

ditum esset istiusmodi confutandi genus, ut singula hominum capita se Authorem aliquem reprobare testarentur; cùm bonas opiniones pariter cum malis, sive omnes *in globulo* (ut vocat) condemnari ridicule postulârit; cum quatuor Doctores Duacenos Vbili Decano & Capitulo & numerosissimo doctissimoq; totius Regni Clero præscripsisse quid ipsi facere deberent, insulsè existimârit; cùm nonnulli ex pauciſſimis quos sibi adjunxit participibus, ipsum cleri Superiorem & Sereniſſimæ Reginæ à Confeſſionibus, quò faciliùs subscriptiones corrogarent, mendaciſſimè evulgarint; cùm prudentes omnes

probe

probe intellexerint ipſum hoc feciſſe, quo diſſidia in Clero eſſe Romæ calumniaretur, quando ante adventum ipſius prorſus nullæ fuerint, & poſt ejuſdem diſceſſum ſtatim conquieverint. Cùm perceperint cordatiores & honoris Stæ Sedis obſervantiſſimi viri, Heterodoxos (ad quorum notitiam iſta pervenerunt) dedecori hæc vertiſſe Smo Dno, ac ſi ad Doctrinas debito more configendas nullam prorſus Authoritatem vel legalem hîc influxum haberet, ſed ſubſcriptiuncularum ope & ſeditioſa privati hominis importunitate indigeret, ab iiſque penderet; cùm præterea factionibus, ſeditionibus ac judiciis te-

temerariis in Sacerdotes & universum pæne Capitulum, in vivos & sanctissimè demortuos, in homines Laicos, imo præcipuos quosdam ex Nobilitate, debacchatus fuerit, & turbis dissentionibusq; quocunq; via tulit, omnia miscere susquedeque vertere sategerit; Adeo caruit res successu, ut plus honoris contulerit D. Albio unius talis adversarii imperita oppositio, quam omnium quotquot habuit in Anglia fautorum benevolentia.

10 Sed quorsum ego hæc? nempe ut ostendam (cùm nulla alia D. Albium oppugnandi via intentata relicta sit) ad particularia Theologis descen-

deſcendendum, intrepide audendum, neque pugnæ exitum viribus committere Veritatis extimeſcendum. Optimum foret ſi errores D. Albio oſtendantur, quo ipſemet ad eoſdem corrigendos vel etiam retractandos permoveatur. Neque hoc deſperandum, cùm eum candorem ſemper præ ſe tulerit ſe Rationi quàm libentiſſime auſcultaturum. Attamen, cùm, ex altera parte, ea ludicii maturitate rerumque comprehenſione ſit vir ille, ut neque Scholaſticorũ modernorum authoritate terrendus, neque probabilibus ratiunculis quatiendus, neque tandem permovendus

movendus clamoribus, hinc ſolis vel Demonſtrationibus Theologicis, vel Authoritate aliquâ cui omnes ſe Catholici ſubmittunt contra, ipſum agendum eſt.

11 Propoſuit Capitulo Eccleſiæ Anglicanæ Ill^mus D. Inter-nuncius Bruxellenſis, pro egregiâ illâ, quâ Eccleſiam noſtram proſequitur, curâ, ut *cùm Epiſcopale iſthic regimen & onus paſtorale ſuſtineant* Staterã Morum *Cenſurâ percuterent.* Et quidem prudentiſsimi ac graviſsimi illi viri ad decreta Summi Pontificis acceptanda, modò via quam ipſamet S^ta Sedes dudum præſcripſit ad ſe tranſmittantur, paratiſsimos


ſeſe

ſeſe conſtanter profeſsi ſunt. De cætero quid Angliæ genio & circumſtantiis ſuis quadret caute prudenterque expendere, ad eorum officium ſpectare videtur. Et ſane, quantum ad meras Opiniones attinet ſeu Propoſitiones illas quæ falſæ eſſe poſſunt, perdifficile eſt Gubernatoribus Cenſuram iis oppoſitam ferre, præſertim ſi earum Author doctrina polleat, ne, ſi forte manifeſtentur eſſe veræ, vel turpiter recedendum ſit, (quod conſtantiam Rectorum maxime dedecet) vel notæ veritati obſiſtendum, quod turpiſsimum omnium eſt & plane impium. Quid

quòd

Quid quod opinionum libertatem, quantum licitè fieri poſſit, in regione noſtra ad lucrandos Heterodoxos conducibilem valde, imo quam efficaciſſimam eſſe viam quotidie experiantur. Quod autẽ agnitæ Fidei evidenter repugnat omnino dãnandum eſt. Ne vero gravis aliqua Authoritas pro obſcuritate & brevitate quam affectat D. Albius, contra ſententiam non rectè intellectam cenſuras vibrando dignitatem ſuam deridiculo exponat, prudentiſſimum imo neceſſarium videtur, ut Theologus quiſpiam primum tentet ipſum oppugnare, ut quo ſenſu ſeſe explicuerit

erit, quidve pro ſententia ſua attulerit Gubernatores pervideant. Præterea, confutatio erroris præcedanea Cenſuræ acceptationem ſubditis commendat, Atque authoritati liberiorem & naturaliorem præbet influxum ; errantem verò vel ab erroribus ſuis retrahendi vel pejus confundendi efficaciam habet, ſaltem charitative ſecum actum non poteſt non agnoſcere Hoc itaque, quò viam aliis Theologis præeam magna forſan ingenii imbecillitate, at maximo certe veritatis zelo, præſtare conatus ſum ; quo ſucceſſu res indicabit.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [30] - -
PUBLIC DOMAIN

STATERA APPENSA

Quoad

Salutis assequendæ facilitatem.

Status Quæstionis.

I. IN Examine 1. 4°. Trutinat. 4ª. paragrapho 2°. proponit Author *Stateræ Morum* Quæstionem, *Quanta Christianorum multitudo ad Beatitudinem ex vi disciplinæ Christianæ sit perventura.* Ad quam expediendam Statum seu dispositionem Animæ in ipso exitu necessariam ad hoc ut cœlum versus dirigatur, explorat. Hunc Statum in Intrinsecis ipsi Animæ; hoc est, in aliquâ dispositione Intellectûs & Voluntatis, vel in Affectibus inde natis, meritò collocat; seu in Iudicio fixo & determinato quòd totum Bonum Animæ sit positum in Bonis à Deo accipiendis in futurâ vitâ; quod

 suffi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [31] - 1
PUBLIC DOMAIN

sufficere ait, (modò tale Iudicium sit rectè qualificatum,) ad salutem consequendam. Advertens deinde immediatam in nobis (sicut in cæteris Animantibus) Actionis causam esse *motum spirituum*, &, quod sequitur, Iudicium etiam fixum & determinatum non procedere ad Actionem nisi adeò validum sit ut Cursum Spirituum naturalem vel ex consuetudine ortum vincere possit; Animam verò extra Corpus hâc spirituum prævalentium copia non indigere ad Actionem (cùm nullæ ibi spirituum contrariantium oppositioni subdita sit) sed solis Iudiciis agi; hinc concludit *Iudicium inconcussum activum*, (hoc est, *fortius* reliquis Iudiciis) de solâ Bonitate perfectâ Bonorum futuræ vitæ esse sufficientem exeuntis Animæ dispositionem quò Beatitudinis tandem compos evadat. Ad hoc autem ut Iudicium istud *fortius* sit cæteris, non requirit Author ut phantasias Rationi obviantes necessariò retundat vincatque, sed tantùm ut semet incorruptum servare potens sit; unde futurum asserit ut in Morte, sublatâ ipsâ phantasiarum turbâ, suam vim sit habiturum, infirmiora & languida de Bonis temporalibus Iudicia sibi subditurum

turum & salutem daturum Animæ. At neque Iudicium purè Speculativum sufficere putat Author, neque perfectè Activum requirit; sed satis esse arbitratur ut substantiam Activitatis habeat seu quadantenùs Activum sit; quod tunc fieri asserit quando Iudicium de vero fine humanę Naturæ adeò stabilitum est, ut, monente Ratione seu Syntereſi, ex sese operari possit & conquirere media seu Actiones congruas eidem adipiscendo: Tunc porrò dici Iudicium istud *posse operari*, si in quieto & tranquillo Animi statu, quando tentatione vel infirmitate immunis est, sufficiens sit persuasio quam habet constanter & suaviter ad Actionem vitæ æternæ congruam progredi; putà ad spem, desideria & executionem congruam: Unde, quando Mors tentationes & infirmitates aufert, Mens à Corpore cum ejusmodi Iudicio abstracta operatura est & se conversura ad verum finem & Beatitudinem. Hinc *Schismaticos* qui præ metu perdendi Bona Temporalia Catholicæ se Ecclesiæ adjungere negligunt, *Incontinentes* qui viciſſim bonam actionem cum malâ miscent, eos denique qui constanter sacrorum memoriam colunt, *quantumvis*,

ut inquit, *perseverantiùs actiones pessimas persequantur*, imò etiamsi à Morte subitaneâ præoccupati spatium præparandi se per pœnitentiam non invenerint, largâ nimis manu Cœlo donat. Adeò ut summa opinionis ipsius, quantum ego capio, hâc propositione comprehendatur, quòd *Iudicium activum* (quale describit) *modò maneat substantialiter integrum, vim suam in primo esse Animæ extra corpus habiturum, eamque ad salutem perducturum, quantacunque & quotcunque peccata externa patraverit, nullamque de iis durante vitâ pœnitentiam egerit.*

2. Ad cujus refutationem priusquam accingamur, amovendi sunt scrupuli quidam discursûs nostri semitam cæteroquin ambiguam reddituri. Fatendum enim, D. Albium non loqui de eo genere Schismaticorum qui hereticâ quoque labe infecti sunt; ponit siquidem illos *de nullo fidei Articulo dubitare*; neque de iis qui corruptum habentes Iudicium non arbitrantur Fidem Catholicam valere jacturam bonorum temporalium. At nec in quæstionem vocare, neque se miscere cum humano Ecclesiæ Tribunali (sive Sacramentali sive Ecclesiastico) seu de statu peccantium *quoad nos*; sed de

Inter-

Interno tantummodo eorum statu *in Iudicio Dei.* Et determinat non esse hujusmodi Peccatores necessariò extra statum salutis coram Deo, quia prædictum Iudicium illæsum in iis quoad substantialia & quasi vitalia permanere potest. Quàm solidis fundamentis hoc asseruerit Rationis Authoritatisque statera â appendendum est.

Oppositio I.

Argumentis Philosophicis opinio ista falsitatis convincitur.

1. COntra paradoxam hanc doctrinam classicum canit Logica scientia; collocans *Hominem* directè sub genere *Corporis*, non autem *Spiritûs*, licèt præcipua ipsius pars spiritualis sit: Hâc nimirum ratione ducta quòd totius Hominis, dum in corpore versatur Anima, *existendi*, &, quod sequitur, *operandi modus* sit corporeus: In *modo* autem operandi involvitur etiam operationis *gradus*; quo gradu itaque afficitur Phantasia per motum spirituum, pari itidem excessu afficietur ipsa Anima, modò

ut Cognoscitiva, & non ut Animali tantummodo Hominis portioni subserviens, affecta fuerit.

2. Suscipit Physica non tam Disciplina quàm Experientia argumentum de longè, ut videatur, petitum, & sic prosequitur. Sicut absque Phantasiæ ope neque discurrere, neque judicare, neque vel cogitare possumus, sic ipsorum judiciorum & affectuum, ut ita dicam Quantitas, vehementia seu efficacia, Quantitati seu vigori spirituum proportionatur: Adeò ut ex imbecillibus spirituum ictibus, sive ab ipso Objecto, sive Rationis interventu in eam Cerebri partem quæ est sedes Animæ impactis, non nisi Imbecille de Bonitate vel Malitiâ objecti, ex fortioribus fortius, ex validissimis, vel (quod perinde est) frequentatissimis validissimum & fixissimum procudatur judicium. Et de Corporeis quidem Objectis per emissiones suas sensuum ope in cerebrum invectas operantibus, hoc verum esse quotidiana clamat experientia: Ex horum quippe rariori vel frequentiori Commercio penetrantiora de eorundem Bono vel Malo nobis indi judicia, vel negante (si fieri posset) Ratione ipsi sensus testa-

testarentur. De Spiritualibus & Metaphysicis par est ratio, Nam in istis quoque Phantasmatum subsidio utimur; licet non nativis, ut in prioribus, sed ascititiis & ferè Metaphoricis seu à rebus corporeis translatis, utamur. Experimur enim quod ex multiplicitate sive ictuum sive specierum hujusmodi spirituum copiam sub vexillo suo convocantium, firmiora evadant judicia, Adeò ut concluſum videtur firmitatem judiciorum pendere à simplicium apprehensionum seu notionum in animum demissione, in eoque (ut ita dicam) insessione; hanc autem Phantasiæ ictus cum proportione sequi.

3. His explicatis resumit argumentum Logica in hunc modum. Cùm Iudicium omne simplicibus Apprehensionibus constet, & judicare sit assentiri quòd Prædicatum Subjecto attribui debeat, fit ut qualem notionem seu apprehensionem de Prædicato in ordine ad Subjectum habemus, illud, ut tale, Subjecto attribuere nati simus. Sit jam Subjectum Propositionis Bonum aliquod temporale, putà, *Honor*; sit Prædicatũ aliqua congruitas seu convenientia quam habet cum Homine; qua visâ, consurgit

hoc judicium, *Honor est bonus.* Augeatur deinde per impressiones spirituum ope factas conceptus ille de Honore, ut primò magis, tandem maximè congruum, & saltem hîc & nunc optimum apprehendatur; palam est congruitatem illam, omnium quæ tunc temporis apparent summam, à Mente jam attribui Honori, & inde formari hoc judicium quòd *Honor sit optimum quid & primò amabile.* Ponamus hominem sic judicantem eo ipso tempore cogitationem habere de Bono in Fruitione Dei collocato, quod olim judicaverat etiam esse optimum. Oritur pugna: Species utriusque Boni propositi per Phantasiam Arcem Animæ occupare conantur: Debilius sit de Cæleſtium Bonorum congruitate judicium; de temporalium, fortior. Manifestè prevalebit (idque intra ipsam Animam, non quoad Externum Actum tantùm) hîc & nunc judicium de melioritate, præamabilitate & preamplexabilitate istorum; succumbet illud alterum; & vel delebitur pro eo tempore, donec vegetiori de cœlesti Bono impressione gignatur de novo; vel tanquam cadaver quoddam intermortuum mansurum est, & veluti umbra quædam seu recordatio

de

de judicio pridem habito & de rationibus forsan quibus permota olim Anima sic judicaverat.

4. Succedit his Ethica Consideratio, quæ Physicæ nihil aliud superaddit nisi ut pervideat quis bonitatem vel malitiam ejus rei cui se addicit, & ad eam prosequendam actibus Animæ, hoc est, apprehensionibus & judiciis, feratur. Unde consequitur, quotiescunque Bonorum Temporalium impressiones Animam ut cognoscitivam seu judicativam ita afficiunt, ut Cælestium apprehensiones, licet in conspectu hostium positæ, & quasi productis utrimque copiis, cedant tamen & semet defendere non ausæ sint, etiam cum de aris & focis seu de Beatitudine perdendâ pugnari cernit Anima, manifestè apparet eam devictam debellatamque à Perturbatione prævalente, hoc est, à Peccato, eique manus dare.

5. Dicet quis, videt quidem Anima seipsam devictam & à Passione abreptam, at simul dolet sese hoc modo prostratam: Quare, non omninò cedit, dolor siquidem est renuentis Animæ signum. Respondetur, Dolor ille est effectus naturalis, in ipsisque Damnatis re-

peritur, & quis inter alia mala contrarietatem affectuum peccantibus negat? Unde, ſicut qui videt ſe vulneratum & de eo dolet, non proinde minùs vulneratus cenſendus eſt; ſic, qui conſpicit ſe nimio amore erga Temporalia affectum & hoc conſpiciendo dolet, non propterea minùs lethaliter vulneratur; non enim doleret niſi ſe contra Rationem egiſſe videret; ipſum verò hoc videre & tamen ſeſe ab actu non reprimere eſt ſcienter malum agere & mandatum Dei tranſgredi. Quò magis itaque videt indéque dolet, eò magis peccat, modò Dolor ille ab actu Peccati hominem non cohibeat: Cùm enim dolor ille ſit motivum ad non peccandum, eò plura Motivorum repagula perrumpit talis homo ut peccatum amplexetur, quò plus doluerat. Manifeſtius igitur indicium eſt Dolor iſte deliberatè cedentis Animæ, & oſtendit judicium ſeu Scientiam contrariam à judicio iſto ſequiore, non occulte & ex improviſo ei inſidiante ſed aperto Marte illud adoriente, debellari; quod legitimam & plenam fuiſſe victoriam evidenter oſtendit. Deletur itaque Judicium prævalens de Bonis æternis per actum peccaminoſum; neque vitam ſuam

ultra

ultra Mortem hominis protelare, vel vim aliquam eoúsque reservare illibatam censendum est.

6. Respondebit D. Albius, Animam ipso quidem *actu* ex circumstantiis oriundo præferre Temporalia Æternis; verùm, postquam à Phantasiæ consortio segregata & spirituum turmis, vi circumstantiarum eam undique impetentibus, libera fuerit, Iudicium illud prævalens de Bonis æternis vires & vigorem suum exerturum & obliquitatem affectûs in Deum conversurum. Sed sustentat nos Metaphysica etiam juxta ipsius D. Albii doctrinam: Ponit enim ille Iudicia de re practicâ in Affectus transire ipsique Animæ identificari; hujusmodi item Iudicia post mortem manere, donec restituto tandem corpore ipsa denuò mutabilis evaserit. Subjunginus nos; At, cum homo *actu suo* ex vi circumstantiarum nato prætulit bona temporalia æternis, habuit tunc temporis Iudicium ea in his circumstantiis esse *actu suo* præferenda; non enim sopitus somno sed vivus videnſque ista prætulit: Quare, si ponatur subitanea morte in hoc statu abripi (ut ponit ipse D. Albius) manebit Iudicium illud in ipsis Animæ

nimæ viſceribus fixum, nempe Temporalia in talibus circumſtantiis eſſe *actu ſuo* præferenda: Stat itaque in procinctu Anima illa ad nequiſſima quælibet perpetranda, modò circumſtantiæ premant; hoc eſt, ad perfringenda Mandata Dei fortaſſis omnia, (nullos enim limites aſſignat D. Albius;) ſive, *judicat* illa omnia eſſe perfringenda modò ingens detur occaſio: Quod cum debito in Ultimum Finem affectu, ſeu Iudicio prævalente de Bonis Æternis, conſiſtere poſſe ipſa terminorum ſignificatio nullo modo permittit.

Oppositio II.

Argumentis Theologicis iſta D. Albii ſententia falſa eſſe oſtenditur.

1. PRoximè injuriam ſibi illatam conqueritur Theologia Speculativa, & hic ſe ulciſcitur. Ultimus finis non attingitur niſi ametur *ſicut debet*, hoc eſt, ut ultimus finis: Neque amatur *debitè* ſi aliquid præterea ametur non referibiliter ad ipſum: Nam eo ipſo amatur illud aliud ut Ultimus etiam, & conſequenter

is

is qui verè Ultimus est ut non Ultimus. Unde etiam (ut ad hominem efficaciùs arguamus) ipsemet D. Albius in Instit. Sacris, Lib. 1. Lect. 11. asserit *peccata venialia aliquo modo referri ad Deum*; hâc nimirum, uti arbitror, ratione ductus, ut ea non *mortalia* esse ostendat, sed distinctionem venialium à lethalibus tueatur. Evidentissimum autem est eum qui actum aliquem perpetrat vel Creaturam aliquam amat, cogitans interea se excidere à Gratiâ Dei, nullo modo nullâ parte actûs sui interioris referre actionem vel Creaturam illam in Deum (existimat enim se perdere Gratiam Dei seu viam ad Beatitudinem amando talem Creaturam, unde non potest ullâ ratione Creaturam ita amatam desiderio Beatitudinis hîc & nunc subordinare) Excidit itaque talis homo à statu salutis seu Gratiâ Dei; idque non in foro Externo Ecclesiæ tantùm, sed in foro Interno seu districto Iudicio Dei dispositionibus causarum effectus debitos sortientis. Unde intercluſum est D. Albio subterfugium quod paraverat, forum Interius ab Exteriori distinguendo; nam Theologia Speculativa de ipsis rationibus Virtutum & Vitiorum agit, non de externis

eo-

eorundem apparentiis seu de Disciplinâ Ecclesiasticâ inde enatâ.

2. Fortiùs stringitur argumentum adversus Authorem *Stateræ Morum* ex loco Instit. Sacrarum citato, Parag. *Constans proinde est*: ubi asserit neglectum perveniendi ad Beatitudinem statum Peccati Mortalis inducere. Manifestum autem est Iudicium prævalens de Bonis futuræ vitæ posse (juxta ipsum) consistere cum neglectu Beatitudinis etiam insigni & diuturno, imò per integram vitam continuato; ut patet ex instantiâ de Schismatico per totum vitæ decursum judicante se in statu Beatitudinis incapaci permanere. Quare, vel non sufficit Iudicium istud prævalens ad statum Gratiæ internum conservandum; vel (quod verisimilius est) à gravi & diuturno æternæ vitæ neglectu perimitur; vel secum ipse dissidet D. Albii doctrina & pugnantia dicit.

3. Non mirum si Error in parte Speculativâ cum ad Praxim deducitur in Absurditatem desinat. Graviter proinde se quoque læsam queritur Theologia Moralis, & Volitionem Rationis operâ factam actum esse formaliter & in verâ locutione *Humanum* contendit; neque re-

requiri ut purâ Ratione quis utatur, sed sufficere ad deturpationem Animæ quatenùs Rationalis est, (hoc est, ad *Peccatum*,) ut videat homo quid debeat vitare, & quid perditurus sit modò non evitaverit. Si enim Rationis puræ & perturbationibus omninò vacuę necessariò desideraretur usus, vix cõtingere possit ut in corrupto Naturæ statu ullum prorsus lethale admittatur peccatum. Præeligere itaque *actu externo* est verè præeligere actu quoque Interno, hoc est, *judicare* esse præeligendum seu melius, modò ullum omnino interveniat Iudicium & sufficiens ad utrumque Bonum pensandum mora. Quod in Instantiis ab Authore allatis abundè suppetit.

4. Objici potest, Passione vapores turbidos exhalante offuscari Rationẽ, adeò ut Beatitudinis tali actu deperdendæ dignitatem clarè non videat; unde non est satis deliberata illa Electio. At Responsum in promptu est, quòd si tumultus ille spirituum adeò confertus & subitaneus sit, ut Rationem præveniendo Mentis radios suffocet penitùs & cæcitatem inducat, Bestiæ more agitur Homo, neque spiritalis ipsius pars lethali exinde labe contaminabitur. Aliter enim

nim, sicut ad visionem Dei prosequendam assequendamque sufficit confusa valdè & subluſtris ejusdem apprehensio, ut in rudibus apparet; ita, ad eandem quoque derelinquendã deperdendamq; confusus itidem de eâdem conceptus sufficere putandus est. Præsertim cum Apprehensio Boni temporalis Phantasiam ipsamque Animam, dum peccatur, occupans, sit admodùm vegeta & expressa. Unde quo magis confusè apprehendit Anima Beatitudinem cujus jacturam peccando factura est, modò in genere hoc omninò sciat, eò faciliore negotio corrumpitur prius Judicium; & à sequente Judicio, objecti præsentiâ fortificato, radicitùs ex Animâ evellitur. Ex aliâ autem parte nil notius vel celebrius est quàm *omnem peccantem aliquatenùs ignorare*; unde *perfectam* Cognitionem seu Conceptum de eo quod perdit non requiri ad peccatum mortale, sed imperfectum dum peccatur sufficere fatendum est, nisi felici errore omne penitùs è fragili hoc mundo peccatum tollere velimus.

5. Quin & ipsa hujus doctrinæ Natura falsitatis eam coarguit. Ponit enim D. Albius Animam hujusmodi peccatri-

cem

cem, appetente morte, *sese ad Deum conversuram.* Peto à quo Animi statu fiat hæc Conversio? Nunquid ab affectu Mortali seu prævalente Judicio de rebus Temporalibus? Non permittit hoc cogitari ipsemet Author, dum ponit Animam moribundam prævalens de Bonis Æternis Judicium ad mortem usque retinere & extrà Corpus unà secum vehere. Num ab affectu aliquo veniali? Neque hoc sinit ejusdem Authoris constans de Purgatorio doctrina, affectus veniales in hâc vitâ contractos primo mortis instante non emendari, sed immutabiliter ad diem usque Judicii permanere, acriter defendens. Cùm itaque Conversio nulla ad Deum fieri possit nisi ab aliquâ Animi affectione quâ à Deo avertebatur, hoc est, nisi ab aliquo Peccato tanquam *termino à quo* progrediatur; neque vel à Peccato Mortali neque Veniali hujusmodi progressus fiat, neque tandem ullum Peccatum detur vel dabile sit præter Mortale & non mortale seu Veniale, evidens est hunc actum Conversionis in ipsâ morte, quem ponit, nullum *terminum à quo* habere posse; hoc est, talem Conversionem non esse Conversionem, sed Doctrinam istam esse

Chi-

Chimæricam, contradictoriam, impossibilem; & quod sequitur, non veram.

6. Par est de Deliberatione Charitatis interemptrice querela. Consentiunt enim Theologi (utcunque de gradu disceptent) eam talem evadere cum videt agnoscitque Anima se Actum aliquem perpetrando Mandatum Dei graviter transgredi, hoc est, extra viam ad Beatitudinem se præcipitare, & tamen suasu Passionis illum de facto perpetrat. Quid D. Albius? Ad Deliberationem mortalis labis inductricem requirit ut *ejusmodi sit quæ impediat Fidem personæ, de quâ quæritur, per Charitatem operari.* Nimis generaliter dictum & in quo à reliquis Theologis dissideat, quod ibi quærebatur, nihil prorsus explicans. Verùm, in hoc discrimen latere videtur, quod reliqui omnes Deliberationem operationis Charitativæ *in hoc mundo* impeditricem *mortalem* judicant, ille autem tunc tantum esse mortiferam asserat cum operationem Charitatis etiam *in futurâ vitâ*, seu completâ jam & consummatâ morte, præpediat & suffocet, licèt contingat quòd Charitatis operationem perpetuo præsentis vitæ curriculo penitùs impedivisset. Neque hoc Authoris hujus sententiæ

invi-

invidiosè affectum existimet quisquam; dummodò enim in hâc vitâ non talis fuerit circa Temporalia Bona præeligenda Deliberatio ut prævalens de Beatitudine Æternâ judicium extinxerit, non *impedit* (juxta ipsum) *Fidem* tandem aliquando, hoc est, in termino Mortis, *per Charitatem operari.* Quàm rara autem & difficillima sit hujusmodi Deliberatio in homine, qui de Doctrinâ Christianâ quicquam prorsus audiverit, consideranti patebit. Dum enim agnoscit quis se peccare cum peccat, simulque Peccatum esse ad æternos cruciatus semitam, evidens est ipsum agnoscere quoque seu *judicare* se minora bona *actu suo* prætulisse; hoc est, actu suo interiore judicare Bona æterna esse reverâ præferenda; seu, quod perinde est, prævalens Iudicium & ad salùtem sufficiens de eorum bonitate habet. Cuilibet itaque scienti & judicanti quod peccare sit minùs malum agere securè & impunè juxta hanc Doctrinam peccare licebit; Iudicium siquidem istud, etiam prævalens de Bonis æternis Iudicium non potest non includere, neque tale Iudicium salutem non efficere.

7. Et jam vocat nos locus ut *Iudicii* istius

istius *prævalentis* naturam accuratiùs ventilemus: Quod satis virium ad dandam salutem habiturum asserit D. Albius modò maneat substantialiter seu in ullo gradu activum, neque requiri ut actu tentationes devincat ingruentes. Quare, cùm circumstantiæ eâ proportione ad Iudicii istius vires attemperari possint ut nunquam in hâc vitâ ad actum externum procedere valeat & tamen motivis identidem propositis illud idem Iudicium foveri & sustentari; consequitur posse hominem sic affectum mœchari, occidere, furta facere, concupiscere, imò blasphemare, idololatrari denique, & tamen, etiamsi subitò moriatur, salutem consequi. Una omnibus his Animæ vulneribus medicina, unum Alexipharmacum Iudicium istud prævalens; eò quòd substantiam activitatis retineat; & impræsentiarum etiam acturum fuisset nisi importunis tentationum assultibus retrorsum fuisset actum.

8. Firmatur ex eo quòd cùm Iudicium istud prævalens à vincente tentatione non necessariò extingui ponat D. Albius, Iudicium de Bonis æternis minimâ tentatione dabili minus, hoc est, nulli non cedens, ad salutem sufficiet.

Cùm

Cùm itaque nunquam defuturi sint in hâc vitâ tentationes, nunquam non peccabit talis Anima in hâc vitâ, & tamen postmodùm, juxta hanc doctrinam, cœlo perfruitura est.

9. Hinc sequitur Iudicium ullo modo in hâc vitâ Practicum ad salutem non requiri, sed purè speculativum sufficere, vel saltem purè pro hoc statu speculativum: hoc est, vitam transactam in fide mortuâ (nullum enim actum vitæ hîc edet &, quod sequitur, neque vitam habebit nisi in separatione) ad felicitatis æternitatem perducturam. Quod Hæresim nimis apertè redolere omnes Catholici vident.

10. Graviùs inde erratur, quòd, cum Trut. 4. parag. 7 non requirat D. Albius ut Iudicium istud prævalens sit de Bonis spiritualibus in visione Dei collocatis, seu de ullâ omnino ratione Boni *in particulari*, sed sufficere si sit de Bono seu *benè esse in communi*, nihil Beatitudini Animæ officient peccata modò peccans maximè velit *benè* sibi *esse* in æternum; seu, si fixum & inconcussum Iudicium istud in interiore Animæ pectore foveat, quòd optimum sit esse æternè Beatum. Nam hic *assensus Veritati Practicæ necessa-*

riò

riò (secundum ipsum) *affectionem secum trahit vel inludit* : Afficitur itaque, idque fixè & inconcussè ad Bona æterna, hoc est, prævalenter. Difficillimum verò est imò pęnè impossibile cuivis vel Ethnico, nedum Hæretico, minime autem omnium Catholicis imbuto principiis non seriò judicare quòd melius sit esse *æternaliter* Beatum quàm *pro tempore* tantùm, modô unquam intellexerit, quid vocabulis hisce significatum fuerit. Replebuntur itaque mansiones cælestes totâ Christianorum farragine, & non parvo etiam Hæreticorum, imò Ethnicorum numero, dummodò immortalitatem Animæ tenuerint (quod Rationis ope fieri posse non negabit D. Albius) simulque quôd felicitatis æternitas caducis præstet voluptatibus; cui veritati absque amentiâ perinsigni non assentiri in mentis humanæ naturam vix cadere potest.

Oppo-

Oppositio III.

Sententia ista Fidei & Praxi Christianæ contraria esse ostenditur.

1. PEr Philosophiæ pomœria, & circumvicinos Theologiæ muros ipsam Fidei Arcem concutere molitur hæc doctrina. E quâ contra illam sic fulminat primipilaris Fidei Dux, ipse Christus Dominus. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Mat. 19. v. 17. *Si quis diligit me sermonem meum servabit,* Jo. 14. v. 25. hoc est, mandata Evangelica. Huic succinit Evangelistarum Aquila & veræ dilectionis à falsâ sublimissimus ac peritissimus discriminator, activitatem Iudicii saluti afferendę idoneam sic describens; *In hoc scimus quoniam cognovimus eum si Mandata ejus observemus. Qui dicit se nôsse eum & mandata ejus non custodit, mendax est.* 1. Io. 2. v. 3. 4. *Omnis qui natus est ex Deo peccatū non facit.* 1. Jo. 3. v. 9. *Omne quod natum est ex Deo vincit mundum.* 1 *Io.* 5. v. 4. Ubi evidenter Iudicii seu cognitionis ad Beatitudinem perducturæ qualitatem ponit in eo consistere ut prævaleat ad

ad actualem Mandatorum obſervationem, ad peccatum evitandum, ad Mundum denique, (hoc eſt Mundi tentationes) devincendum ; & non ejuſmodi Iudicium quod in interiori tantùm Animæ receſſu præponderet, tentationibus autem ſuccumbat, & ad victoriam de paſſionibus Mandatorumque obſervationem flacceſcat & invalidum ſit.

2. Proximè urgetur primum ferè illud Chriſtianæ vitæ principium ab Apoſtolo Paulo commendatum, ad Rom. 14. v. 23. *Omne quod non eſt ex Fide peccatum eſt*; hoc eſt, (ut omnes conſentiunt) *omne quod non ex conſcientiâ rectitudinis facti procedit.* Inferimus nos; Ergo quicquid non procedit ex conſcientiâ dictante ſe poſſe abſque lethali enormitate tale quid patrare, eſt lethale peccatum. Si enim malitia Conſcientiæ malitiâ actûs inducit, pari ratione pejoritas Conſcientiæ peioritatem quoque actûs poſt ſe trahere conſentaneum erit. Deliberatio itaque ejuſmodi ut ſciat quis ſeu perſuaſus fuerit ſe mortaliter peccare, ſatis eſt ad peccati mortalis ſibi conſciſcendum reatum & damnationem incurrendam; quod negat D. Albius expreſsè ut in Inſtantiâ de Schiſmatico clarè ſe explicat.

explicat. Et lubrica nimis est evasio illa, *parum interesse quid Schismaticus de se judicet cùm & multi viri religiosi fallantur in Iudiciis de se factis.* Utut enim dubitent sæpenumerò viri timorati de gradu Sanctitatis quam sibi inesse sperant, imò quandoque an verè ament Deum super omnia, necne; hoc tamen non impedit quin evidentissimè constare possit peccanti mortaliter se posthabuisse Iudicio suo Practico cælestia terrenis; modò unquam reflectendi super actus suos interiores, seu recogitandi se judicâsse quòd perditurus esset Beatitudinem cum peccaret, capax fuerit. Quod Christianis vel maximè rudibus denegari non potest.

3. Enormiùs inde erratur quòd non per sequelas de longè ductas sed diametricè & pleno vultu traditæ à Christo Fidei sese opponat hæc doctrina. Docet enim Salvator noster Lucæ 12. v. 47. 48. *Servum illum qui cognovit voluntatem Domini sui & non fecit secundùm voluntatem ejus vapulaturum multis; eum verò qui non cognovit & fecit digna plagis vapulaturum paucis.* Idem ipsa communis ratio & prudentissimorum hominum usus, docente Naturâ, esse sapientissimum

confirmant, ut eum magis vituperandum judicemus cui plenior erat scientia de eo quod feciſſe debuerat. Unde, cùm eum qui nihil omninò noverit de Chriſto ſeu de voluntate Patris manere in tenebris & ſtatu animæ mortali ac proinde damnandum nemo ambigat, plures damnationis plagas manere eum qui noverit & non perfecerit non poteſt dubitari ab eo qui Chriſto credendum exiſtimaverit. At verò, ut officium ſuum *noviſſe* (ſeu cœlum eſſe præferendum *judicâſſe*) culpâ vacare, imo ſummâ æternæ felicitatis mercede potiri faciat eum qui illud adimplere neglexerat, omnem abſurditatis modum exuperare videtur. Cùm tamen, juxta hanc quam laceſſimus doctrinam, Schiſmaticus, verbi gratiâ, (& idem de cæteris cum proportione dicendum) ideò Beatitudinis compos futurus eſt quòd habuerit prævalens Iudicium ſeu (quod perinde eſt cum objectum eſt verum) *Cognitionem* firmam quòd Bona æterna ſint præferenda, licet eadem *actu ſuo* poſthabuerit terrenis; ſeu, quod tantundem eſt, *Noviſſe voluntatem Patris* ſalutem ipſi dabit, quantumvis actibus ſuis non fecerit quod Cognitio illa dictaverat faciendum. 4.

4. Respondebit D. Albius, Argumenta è locis Sacræ Scripturæ à privato cujusquam ingenio explicatis petita ad Fidem non aspirare, sed requiri ut Regula Fidei seu Traditio ad sensum ejus certificandum afferatur. Replico tamen & constanter affirmo sensum à me assignatum esse omnium Fidelium, quantum ego vel fando audivi, vel conversatione expertus sum, vel lectione colligere potui. Aliunde verò, cùm natura hujus propositionis non sit levis alicujus momenti, sed ingentis omninò ponderis; tum quòd maxima Christianorum portio hâc viâ ad Beatitudinem perducenda sit, tum quia permagnum habeat influxum in vitâ Christianâ præsertim verò in virtutibus Spei & Pœnitentiæ excolendis, prorsus consentaneum fuit ut notissima esset, neque per tot jam sæcula universam lateret Ecclesiam: Semitæ enim vitæ Christianæ, quando ab iis pendet Humani Generis versus Beatitudinem progressus, notissimæ esse debent. Dubium autem non est quin plurima animarum millia quæ negligentiorem hîc vitam egêrunt & fato subitaneo (naufragio putà, bello, insidiis hostium & plurimis hujusmodi

casibus) oppressæ sunt desperabundas periisse ex defectu cognitionis hujus doctrinæ ; horrentes nimirum reatum actuum exteriorum quorum sibi conscii erant, virtutem verò Iudicii istius prævalentis infeliciter nimis ignorantes. Digna itaque cognitu, & Ecclesiæ (quæ motivis adversus quævis animarum mala instrui oportebat) etiam necessaria fuit propalatu hæc Doctrina modò vera fuisset ; nemini autem (quantum liquet) cognita fuit unquam præterquam uni D. Albio ; Bonitatem itaque Dei minimè suspectam habebimus, sed audacter concludemus quòd vera non sit.

5. Introspiciamus tamen intimiùs Christianorum pectora ut videamus quid in tabulis cordium carnalibus scriptum sit. Ne autem præsens scrutinium nimis speculando evagetur, ad Praxim vitæ Christianæ, tanquam certissimum interiorum cogitationum indicem, attentum usque servabimus oculum. Credunt omnes & uno ore fatentur, idque non ut ab alio Præceptore quàm à Christo acceptum, locum Meriti & Demeriti in hâc vitâ solummodò reperiri, *veniente nocte* (hoc est, mor-

morte) neminem operari posse versus salutem adipiscendam. Hinc egregia illa affectuum in hâc vitâ purificandorum cura, hinc solennis ille Sacramentorum & piarum exhortationum ante mortem usus, eo fine adhibitarum ut Anima priusquam è corpore exeat ad Deum se convertat. Cùm tamen, si obtineat nova hæc Disciplina, majorem longè animarum salvandarum multitudinem non nisi *veniente Morte* mereri cœlum, non nisi *in morte* salutem suam operari & ad Deum se *convertere* asserendum sit.

6. Credunt præterea fideles se perdere Gratiam Dei si Mandata ipsius transgrediantur postquam sciunt hoc prohibitum esse seu non esse faciendum sub pœnâ æternæ damnationis; neque aliam Deliberationem necessariam judicant ut hæreditate cælesti excidant & rei habeantur æternæ mortis; idque non in facie Ecclesiæ tantùm, sed etiam coram Deo. Hinc se Ratione suâ perversè usos fatentur ac dolent; hinc se meritò, & præcipuè, imò unicè incusant quòd adeò deliberatè creaturæ adhæserint ut impedierint motiva Fidei, tunc cum peccabant, (seu, *in hoc Mundo*) per

Charitatem operari. Deliberationem verò illam imperfectam fuisse neque peccatum mortale admittere quia non obstabat quò minùs Fides per Charitatem operaretur in statu separationis, (quamvis hoc Spei erigendæ & per consequens Charitatis renovandæ maximè intererat) nè per somnium quidem cogitabant unquam.

7. Credunt iidem, idque non per Fidem tantùm, sed (si ita loqui liceat) per assensum ipsâ Fide valentiorem, seu per Fidem toto instinctu Naturæ roboratam, quòd quicquid, remordente Conscientiâ & lethale esse suggerente, perpetratur, lethale prorsus sit & interiori Gratiæ Dei seu Charitati internecinum. Et hinc, stimulante ejusmodi Conscientiâ pœnitere ac dolere de peccato incipiunt; quod vel non omninò, vel non eo saltem vigore facturi essent, si putarent Conscientiam istam fallacem esse, & meticulosos quos suggerit terrores inanes prorsus & contemnendos. Quod vero lateat interius aliquod Iudicium ab habentibus non animadversum, vel invitâ ipsâ Ratione prævalens, & Conscientiæ vulnera sanare potens, vel potiùs vanos

fuisse

ſuiſſe ejus morſus oſtendens, adeò refugiunt ac horrent credere, ut ipſum Rationis oculum à Fide illuminatum pari negotio ſibi erui ſuſtinebunt.

8. Credunt denique iidem Fideles æquali prorſus certitudine cum eâ quâ Deum eſſe aſſentiuntur non aliâ viâ ad Beatitudinem eundum quàm militiam Chriſtianam hîc exercendo, Perturbationes à Concupiſcentiâ ortas jugo Charitatis ſubdendo, *actibus* denique *ſuis* Mandata Dei obſervando; &, juxta modum quo hæc perfeciſſe vel neglexiſſe ſibi conſcii ſunt, ſpem aſſequendæ Beatitudinis erigunt vel demittunt. Iudicium verò dari aliquod prævalens de Bonis æternis, quod cum Bonorum Temporalium præ æternis *actu ſuo* prælatione conſiſtat, neque ab eo penitùs corrumpatur, ipſis inauditum, incredibile, imò abominabile eſt; utpote neceſſitatem Mandata *externo actu* ſervandi evacuans prorſus, & in prævalidum quendam conceptum quòd bona æterna ſint præeligenda, unde (niſi actio correſpondeat) Vitiorũ ratio pœnè tota fluit, Virtutum omnium ſummam & præcipuos ad Felicitatem conatus acediosè nimis & periculosè rejiciens.

9. Non immeritò Praxi Christianorum annumerare licet eorundem scripta & Locutiones, postquam ista consono ore edita constiterit. Circumspiciamus itaque quotquot extant volumina, sive illa Scholasticorum placitis, sive Prædicantium hortationibus, sive Sacrarum Literarum commentationibus, sive piis ad Devotionem incitamentis, sive Asceticæ vitæ disciplinis, sive mystagogicis tandem Contemplantium sublimitatibus sint fæta: Percurramus numerosissmos & operosissimos Tractatus à Sanctis Ecclesiæ Patribus non unius loci aut seculi, sed quorumlibet, sive de methodo salvandi Humani Generis, sive de Fidei Spei & Charitatis virtutibus, sive de ratione Peccati, sive de loco Meriti & Demeriti conscriptos: Auscultemus deniq; communem Christianorum vocem de rebus Animæ, non vocabulis è Scholâ mutuatis, sed naturali Fidei seu Traditionis idiomate loquentium: Et experiemur hos omnes quatuor illa puncta, nuper à nobis enumerata & Doctrinę D. Albii contraria, tanquam Fide recepta constanter asserere & mordicùs tueri; hoc est, recens istud de Iudicio prævalente & completâ jam morte hominem salvaturo

turo commentum prorsus reprobare, & licèt non totidem verbis contradictoriâ formâ prolatis, necessariâ tamen (non tam sequelâ, quàm) interioris sensûs oppositione & contrarietate penitùs condemnare.

10. Respondebit forsan D. Albius, neminem antehac quæstionem istam movisse, neminem proinde sententiæ suæ refragatum esse unquam vel occasionem refragandi habuisse; unde, Authoritatis objectæ gravitate neutiquam oppressum semet deprehendit. Replicatur tamẽ pernegando sequelam: Non enim requiritur ad opinionis alicujus damnationem ut dubium aliquando de eâ motum fuerit, sed satis est ut firmiter, constanter & inconcusse contraria Christianis omnibus sederit sententia: Eo enim ipso *involvitur* hujus improbatio quò ejus opposita probata fuerit. Quòd verò nunquam in litẽ vocata sit, tantũ abest ut eam excuset vel commendet, ut incuset magis & universim damnatum fuisse manifestet: Cùm enim summa sit Scholarum ambitio novas quæstiones indies procudere, imò absurdissima quæque hinc inde ventilare; cùm Sanctis Patribus & Ascoticis de Spe tractantibus non potuit defuisse locus

examinandi an aliqua, peractâ vitâ, superesset animabus salvandis operatio & ad Deum Conversio, evidentissimum est in proclivi utrisque fuisse hujusmodi movisse quæstionem, ni sanctius aliquod principium & extra omnem litis aleam positum ipsos quò minùs id facerent cohibuisset: Sola autem Fides potuit tantam ingeniorum varietatem, cum dabatur occasio, à dubitando inquirendoque compescere. Iudicabant itaque oppositam sententiam esse traditę à Christo & Apostolis Fidei partem; &, quod sequitur, istam D. Albii Thesin contrariam Fidei seu hæreticam.

10. Postremum quod objicimus huic Novitati tanquam Praxi Christianæ injuriosum est, quòd Contritionis (virtutis, si qua alia, peccatrici Adami stirpi maximè necessariæ) vim ac vigorem retundat saltem, si non enecet penitùs & extinguat. Non enim existimabunt Peccatores se Gratiam Dei deperdidisse neque, quod sequitur animitùs de Peccato dolebunt, dummodò possint hoc palpo Animæ suæ perversitatem demulcere: Nisi me vicissent circumstantiæ seu tentationes hoc non feciſſem; Iudicavi quidem dum facerem non esse faciendum,

ciendum, unde prævalens de Bonis cæleſtibus Iudicium vel eo ipſo tempore interiùs fovi, quod in levioribus vel ſaltem leviſſimis quæ dari poſſunt circſtantiis proculdubiò etiam prævaluiſſet; unde fuiſſe illud ſubſtantialiter activum non poſſum dubitare: In morte ſaltem, ubi nullæ penitùs tentationes Rationem invadunt, omnino prævaliturum eſt, animam ad Deum converſurum & ad ſalutem æternam operaturum. Quorſum itaque me dolore ob peccata macerem, imò quorſum à peccatis externis me continere mortificationibus ſatagam? cùm Iudicium iſtud quòd Bona Patriæ ſint optima, ſeu (quod in idem recidit) quòd malè agam dum peccem, habitu facillimum imò non habitu difficillimum ſit; & modò ſubſtantialiter integrum conſervetur, affectuoſum & activum tandem evadet, Animamque vel invitam cæteróquin & reluctantem ad gaudiorum æternitatem pertractu-rum.

11. Huic malo tanquam Appendix neceſſaria hæret ingens prorſus Tribunalis Pœnitentialis & Confeſſionis abuſus: Scilicet quòd non niſi diſſimulanter ſe in-

hoc

hoc actu gesturi sunt quibus hæc doctrina penitùs insederit. Cùm enim in foro illo Conscientiæ Animarum vulnera aperienda sint & medicina spiritualis inde expectanda, non nisi fictè & duplici corde utraque horum præstabit is cui persuasum est se judicare quòd æterna Bona sint meliora caducis, & quòd tale Iudicium in interiori Gratiâ Dei ipsum conservet; nulla enim vulnera (saltem lethalia, quibus sanandis Sacramentum istud institutum fuit) se habere, neque ullâ proinde egere medicinâ certò cognoscet. Ad speciem itaque, & nè à cæteris Christianis in praxi dissideant, ad Sacramentum istud venire necesse est eos omnes qui se hujusmodi Iudicium habere sibi conscii sunt, hoc est quotquot doctrinam Christianam vel de longe odorati fuerint. Quid quòd ii qui magis candori student & simulare nesciunt vix unquam hoc Sacramentum frequentaturi sunt; cùm rarissimè, si omninò, deesse possit salutiferum istud Iudicium; &, si fortè ex desuetudine diuturniori vel arctiori cum Creaturis consuetudine illud obliteratum esse dubitaverint, ex leviss imâ motivorum perpensione (modò Fide

non

non destituantur) revicturum sit. Frequentatio autem hujus Sacramenti Praxi si non Christianâ saltem Ecclesiasticâ commendari videtur.

12. Necminùs contra sententiam de *longè majori salvandorum numero*, ad quam astruendam novam hanc salutis semitam adinvenit D.Albius,quàm adversus hanc facillimam salvationis viam clarissimè pronunciavit Christus Dominus, Mat.7. v.13.14.*Intrate per angustam portam;quia lata porta & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam,& pauci sunt qui inveniunt eam*: & c.22. v.14. *Multi sunt vocati, pauci electi.* Quæ verba , cùm nihil absurdi contineant (nisi omnes in hæc usque tempora Christianos absurdè sensisse judicare velimus) juxta D. Augustini regulam in eum sensum accipienda sunt quem vero vultu præ se ferunt. Quarè, præter falsitatem præmissarum,Conclusionem quoque ad quam stabiliendam collimat , falsitatis coarguit ipse Christus Dominus; si qua omnino certitudinis lux è Sacris Literis affulsura expectari poterit.

13.Denique hęc sententia est suiipsius interemptrix in Praxi , ac proinde non-

vera :

vera : Cùm enim evidentissmum sit quò plus difficultatis in aliquâ re apprehenditur eò majori sedulitate ac diligentiâ homines in eam incumbere , in rebus verò quas factu facillimas existiment eos negligentiùs operam suam ac curam impendere , hinc sententia quod permulti sint salvandi , & quidem facillimo negotio , ex sese conducit ad hoc ut negligentiùs vivant communiter homines. Cùm itaque ex neglectu culturæ Animæ non possit non contingere quamplurimos esse interituros, palàm est Doctrinam quod complures sint facillimè salvandi , si in Praxi ei adhæreatur (quod non fieri non patitur natura hominis) effecturam ut pauci salventur ; hoc est effecturam ut ipsamet non sit vera , seu semet interempturam. Est itaque falsa.

OPPO-

Oppositio IV.

Evulgationem hujus opinionis imprudentem fuisse, quantumvis esset vera.

1. ULtimo loco contra Prudentiæ Leges peccatum à D. Albio in Doctrinæ hujus propalatione conquerimur. Utut enim vera esset hæc Thesis, eam tamen non minùs doctorum omnium contraire placitis quàm indoctorum cogitatis & praxi, idque universim per totam ubique Ecclesiam, non potuit non cognoscere. Est præterea de re insignis prorsus momenti, de immediatâ scilicet & valdè generali ad salutem viâ; unde novitas in hujusmodi materiâ non potuit Christianos omnes non maximâ consternatione afficere. Absque insigni itaque & premente necessitate universam Ecclesiam adeò ingenti animorum concussione & scandalo commovere & percellere temerarium & imprudentissimum fuit. Nullam autem hujus Doctrinæ necessitatem intercessisse inde constat quòd Christus Dominus

nus & Apoſtoli eam non docuerint, quos tamen cuncta ad ſalutem neceſſaria edocturos Eccleſiam nemo dubitat. At neque egregia aliqua ex ipſius ignorantiâ profluxiſſe mala deprehenſum eſt unquam, nec denique ipſe D. Albius, cui maximè incumbebat, ingentia aliqua ejuſmodi incommoda nobis producere valuit. Bona autem quæ p. 814. enumerat hinc proventura adeò levia ſunt & ferè ſpeculativa, praxim denique Chriſtianam labefactantia magis quàm perficientia, ut præſtet iis carere quàm potiri; & plerumque contra ipſum potiùs D. Albium quàm pro ipſo militant.

2. Valorem itaque & pretium hujus Doctrinæ divulgandæ collocat, Primò *in manifeſtatione virtutis Paſsionis Chriſti, & utilitatis Animabus ex Fide accedentis.* At extremum forſan quod ex virtute mortis Chriſti ſperari poterat, corruptâ naturâ laborantibus non manifeſtari, prudens fuit: Pronum ſiquidem eſt iis, (communiter ſaltem) quoad abſque interitu Animæ fieri licet, paſſionibus indulgere; Infirmioribus quoque animis ſeſeque regere non valentibus pernôſſe ſummum utilitatis ex

ex aliquâ re accedentis, reddere eandem ipsam rem minùs illis utilem quotidiana docet experientia. Hinc Parentes Filiis nepotes agere solitis magnam hereditatis quam adituri sunt partem prudentissimè celant, nè profusiùs eam dilapidandi licentiam sibi arripiant. Præterea, verendum est ne quantum inde vigoris atque efficaciæ accedit Fidei tantum detrahatur Charitati; saltem, quatenus hæc virtus actibus externis fovetur augetúrque.

3. Tertiam hujus doctrinæ utilitatem ponit quòd *manifestet Sanctitatem Ecclesiæ.* Egregiã verò Sanctitatem! quæ *cum perseverantiore actionem pessimarum exercitio* consistit, quę in Judicio quodam interiore invisibilique, atque in hâc vitâ forsan nunquam in actum exteriorem erupturo, collocatur; cujus denique perceptio & manifestatio in futurum seculum & separationis statum releganda est. Non istiusmodi Sanctitatem nobis commendavit Is qui jussit ut *Lux* nostra *sic luceret coram hominibus ut viderent opera nostra bona, & glorificarent Patrem nostrum qui in cælis est.*

4. Quartam utilitatem assignat *consolationem infirmorum nè desperent de salute*

salute eorum quos amant quibus contigerit post vitam neglectiorem Mortem subiisse non egregiâ pietate spectabilem. At quantuli interest ut consolatione isthâc careant infirmi? Imò quanto conducibilius ut salutifero isto dolore frui permittantur, quò excitentur ipsi ad vitam cautiùs agendam, neque in extremam mortis horam pœnitentiam differant.

5. Ultimam addit, *Meticulosorum & Iudicia Divina horrentium consolationem; qui, cùm spem factam iis qui minorem curam Animæ suæ habent compererint, à desperatione facilius retrahentur.* Et quidem Divinam Charitatique vicinam *Spei* virtutem negligenter nimis ab Animarum curam gerentibus sæpenumerò prætermissam non possum cum gemitu non agnoscere. Loquacius Heterodoxorum genus toti sunt in Fide concionibus vocalissimis ebuccinandâ: Catholici quoque eandem (uti pareſt) laudibus vehunt: Charitatem maximis concelebrant encomiis omnes quotquot Catholicorum nomine censentur (Illos enim qui Amorem Dei saluti non necessarium ponunt Infidelium cætui annumerandos duco) De *Spe* verò altum pænè silentium. Quod inde eveniſſe arbitror

tror quia hæc virtus sæpiusculè nomine *Fidei* in Scripturis Sacris significatum reperitur; unde frequentem de hâc, raram verò de illâ mentionem audimus. Conqueror item inania Spei motiva frequenter nimis proponi Fidelibus; putà, externa quædam opera voluntariè susceptа vel etiam imposita, nullâ cæteróquin ad movendos affectus efficaciâ, vel saltem tenuissimâ, prædita; imò nonnunquam vel nugaciſſimas tricas tanquam ingentia Spei motiva quidam (uti spero) imperitî imperitioribus obtrudere conantur: Quibus postquam initiati & tandem assueti fuerint infirmi, si ullo exercitio, licet laudabiliore & forsan (si res rectè pensetur) obligatorio ab iis avocentur, terribili quodam horrore, importunis conscientię vellicationibus, & (nisi eadem resumendi detur copia) tantum non desperatione miserrimè conficiuntur. Istiusmodi veræ Spei impedimenta ex animis Fidelium eximere & firma Virtutis illius fundamenta ibidem substruere uti Supremis Ecclesiæ Rectoribus rem perpensione digniſſimam, ita opus duco Theologo cui otium & vires suppetunt maximè consentaneum, quódque libentissimè pru-

prudentiores omnes videre vellent. Verùm, quantum (heu!) abeſt Doctrina iſta ab hujuſmodi fructu? cùm non tam benè ſperandi fiduciam quàm peſſimè præſumendi ſecuritatem addat is, qui docet quòd *timere male eſſe in æternum* includat *amorem* æternaliter *benè eſſendi*, hunc autem Amorem ſatis eſſe ad ſalutem conſequendam, modò inconcuſſus ſit, quantumvis actibus interim externis nullum Dei mandatum non peſſimè violetur.

6. Unde inexpectatum hoc ſponte ſuâ imò neceſſariò exilit, nempe, eò ſecuriorem eſſe ſalutis ſuæ Chriſtianum quò magis deſperet, imò ſecutiſſimum ſi deſperabundus emoriatur. Cùm enim quò magis deſperat eò magis timeat malè ſibi futurum per æternitatem; item, quò magis timet quis malè eſſe eò magis amet benè eſſe (Timor ſiquidem ille ex amore contrarii oritur) fit, ut qui maximâ deſperatione oppreſſus obit, maximo Timore malè eſſendi, hoc eſt maximo Amore benè in futuro mundo eſſendi affectus moritur. Amor autem bene-eſſendi in communi (juxta D. Albium Trut. 4. Parag. 7.) ad ſalutem ſufficit; maximus itaque

huju-

hujusmodi Amor abundè sufficiens erit; Unde qui mortem obit maximè desperans, optimè ad Beatitudinem disponitur; &, cùm Desperatio ista seu Timor fuerit ultimus vitæ actus, securissimè quoque salutem consecuturus est.

7. Hæc sunt motiva Prudentialia quibus permotus D. Albius doctrinam istam seminaverit: Quæ, quàm leviſſima sint, & cum concussione universæ Ecclesiæ inde oriundæ neutiquam æquiparanda, ex dictis jam patuit.

CONCLUSIO.

Quid de doctrinâ hâc ejúsque Authore censendum sit.

1. EX deductis concludi videtur, Doctrinam hanc D. Albii esse Erroneã in Scientiis præsertim verô in Theologiâ, licentiosã & bonis moribus contrariam,

trariam, scandalosam, Fidei & vitæ Christianæ multiformiter oppositam, ac proinde non uno nomine Hæreticam.

2. Nè autem apud rudiores & quid sibi velit Censura hujusmodi ignaros insignis arrogantiæ notam incurram, quòd Professoris Theologiæ veterani, & in omnibus pænè Scientiis usque ad stuporem exercitatissimi, sententiam adeò libero perstrinxerim calamo, palam facio me in hâc Censurâ non nisi jure Theologi uti, cui licitum est Judicium suum seu *quid ipse censeat* profiteri; neque aliquid amplius vel augustiùs sonat Censura Theologica vel sonare potest. Vis illa seu Virtus, quâ fretus Censuram hanc edere ausus sum, sunt Rationes quas proposui unde periculosissimam esse hanc doctrinam judicavi: solis his innitor fulcris: Si stent illæ, standum; si cadant, mihi pariter cadendum est, nisi infallibile aliquod Divini Depositi testimonium, & constanter ab Ecclesiâ Catholicâ pro tali agnitum, mihi in subsidium veniat.

3. De viro ipso Censuram edere interdixit mihi, reservavitque sibi καρδιογνώστης Ille atque interiorum hominis solus perspector ac Iudex Christus Dominus.

nus.

nus. Quantum verò exterius apparet, omnibus novo Charitatis mandato *Diligite invicem* obsequentibus fatendum est ipsum nihil dum egisse quòd virum Catholicum & obsequentem Ecclesiæ Filium dedeceat. Scripta sua Ecclesiæ Catholico-Romanæ & Sedi Petri humillimè submisit; idque posteaquam *Sonus Buccinæ* prohibitus fuerat; unde patet, Ipsum ejusdem Prohibitionem acceptavisse, & (me teste) aliis observandam docuisse. Errare itaque potest, Hæreticum verò esse factis plane efficacissimis abnuit. Ne una quidem propositio ab ipso conscripta usque dum ab Ecclesiâ Censurâ aliquâ notatur. Unde sola temeritas passionis & calumniandi pruritus, rationumque forsan ad ipsum aliàs oppugnandum defectus in causâ esse possunt ut tanquam Hæreticus diffametur.

4. Exorta est in Ecclesiâ Dei hoc ultimo sæculo quædam hominum secta, *Defideani*, novo sed propriissimo vocabulo, dicta; atque utinam non magnam Ecclesiæ partem, quatenùs è schola pendet, pernicioso nimis contagio permearet. Hi quicquid placitis Magistrorum suorum, quibus solis ferè assuescunt & mor-

mordicùs adhærent optimè quadrat; quiſquid item ſibi ſuiſque valde conducibile exiſtimant, ſtatim *de Fide* eſſe clamitant; & contraria ſentientes vel docentes apud vulgus (pro popularitate & loquacitate quâ pollent) *Hereticos* eſſe tanquam è Cathedrâ pronuntiant. Hinc ſcandalum in plebeculâ de rebus Scholaſticis judicare non valente; hinc opinio Incertitudinis Fidei, dum hi eſſe aliquid *de Fide* ferociter contendant, alii conſtanter pernegent: Diſtringitur interea penitus Charitatis vinculum, Catholicis, in regione præcipuè Heterodoxâ, adeò neceſſarium. Hinc naſcitur ab Adverſariis opprobrium quòd Catholici non minus atque ipſi de rebus Fidei diſſentiant. Hinc denique impoſſibilis redditur omnis reunio cum Heterodoxis, putantibus nimirum ſibi ſubſcribendum eſſe cuilibet opinioni, etiam abſurdiſſimæ, antequam poſſint Communionis cum Eccleſiâ capaces reddi, vel potius quibus Articulis aſſentiendum ſit, penitus ignorantibus; *Deſideani* ſiquidem iſti, ſi quando, (ut ſæpiſſimè fit) ſibi invicem occurſent, etiam contradictoria eſſe *de Fide* utrimque deblaterant. His affines ſunt *Fere-de-fideani*, genus

genus hominum paulo modestius, nihilo tamen sapientius, ut qui veritatibus gradus assignent; Mirum ni *dimidium* vel etiam *tres-quadrantes-de-Fide* esse aliquid, crescente delirio, tandem aliquando asseverent. Istiusmodi hominibus vehementissime urgentibus opiniones quaslibet esse *de Fide*, vel saltem *ferè de Fide*, quæ rebus suis conducunt, non minùs (& fortasse nimis) vehementer se opposuit D. Albius; &, (pro more suo) rudi calamo, nihilque quod concipiendo semel menti impresserat, urbano aliquo condimento emollire patiente, satis severè in Scriptis suis Scholasticis exagitavit.

5. Ex alia autem parte, in Controversiis quas scripsit adversus Fidei hostes, nemo unquam nervosiùs Infallibilem Ecclesiæ vocem in rebus Fidei tradendis demonstravit, nec celebriores de victis Adversariis reportavit triumphos. Inter quos felicissimum illum duco quòd acutissimus ac nobilissimus Adversarius, ingens olim heterodoxæ partis columen, jam verò Catholicæ Nobilitatis Anglicanæque Ecclesiæ insigne decus atque ornamentum, rationibus D. Albii maximè permotus in castra Catholica feces-

ſerit. Tractatus quos de rebus ſpiritualibus conſcripſit, motiva ad Pietatem ſolidiſſima & ad medullas Animæ inſolito atque inaudito ferè vigore penetrantia, ubique ſpirant: Nihil autem ſanctius aut ſecurius Principio illo cui conſtantiſſimè ſe hærere ubique profitetur, Charitatem nempe ſeu Amorem Dei eſſe unicam ad ſalutem viam: Hinc virtutum omnium menſuram deſumit, hâc lance Exteriorum quorumlibet utilitatem expendit; eaque omnia eo gradu eſſe bona decernit, quo Reginæ virtutum, Charitati, famulata fuerint: Vitam ipſius innocentiſſimam fatentur omnes, vel ultra Adverſariorum calumnias. In Collegiis Ulyſſiponenſi & Duaceno, dum hinc vice-Præſidis, alteri Præſidis officia præſtitit, egregium Pietatis ac diſciplinæ exemplar ſubditis præluxit. Superiorum regimini in Angliâ nunquam non obſequentiſſimum ſeſe præbuit. Denique, exceptis opinionibus quas tuetur exoticis (hâc verò præcipuè quam hîc redarguimus) irreprehenſibilis omninò, imò ſummâ laude dignus ab omnibus ſemper agnitus eſt & permagni etiam habitus.


6. Sed, quid ego hæc? Num idcircò ex-

excusandus est quòd talia scripserit qualia jam commonstravimus? Absit ut virtutes, quamvis eximiæ, ulli vitio patrocinentur! Imò, eo magis ipsum vituperandum duxerim quòd Principiis adeò sanctis non usquequáque adhæserit; &, cùm sit doctrinâ perinsigni, ullam omninò erroris labem, nedum tam fœdã nimis speculando admiserit. Hanc fortasse rationem inire licebit, quòd vel Thesim istam cum debito amore Dei consistentem ostendere valebit, quod si fiat (nunquam autem id fieri posse jam ostensum est) omninò admittenda erit vel non poterit; in quo casu, cùm nemo utramque contradictionis partem diu sustinere possit, benè sperandum est principia quibus longum assuevit & Fide certa fatetur, magis quàm inde deducta apud ipsum prævalitura, atque effectura tandem ut errorem istum ad normam revocare eumque emendare potius ducat.

7. Incumbere verò Lectoribus videtur Doctrinæ hujus notitiam mente premere, neque apud imperitam plebem clamoribus divulgare; quod qui fecerit, eò gravius ipso D. Albio peccâsse censendus est, quantò periculosius est indoctis hujusmodi Theses inculcare quàm do-

ctis proponere. Cæterùm, cùm istud ab omnibus ubique observari sperare non liceat, incumbit omninò D. Albio scandalũ ab ipso excitatum è medio tollere; Et, vel veritatem à se scriptorum evidentissimè ostendere, (probabilitas enim quantumvis maxima tam gravi scandalo patrocinando omninò impar est) vel candidè eadem ut malè subsistentia retractare. Neque satisfacere videtur officio suo si Evidentiâ doctis tantummodò penetrabili istud præstet; sed, cùm Theses quæ malis moribus favere videntur, judicio vulgi aliquo modo subjaceant, eorumque animos maximo horrore percellere natæ sint, hinc æque indoctis atque doctis hæc scribendo se debitorem constituit; Luce itaque meridianâ clariora, & cuilibet impressionem scandali valenti suscipere intelligibilia afferre tenebitur. Qualia si attulerit, tum mihi objectionibus, tum plebi quoque justo cæteroqui scandalo atque aversione supersedendum erit.


FINIS.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [83] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [84] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [85] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [86] - -

PUBLIC DOMAIN


GWLB Hannover 35
036 854 379

aufgest. 8° TV, 2.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [87] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [88] - -

PUBLIC DOMAIN



Signatur: Leibn. Marg. 29;ZEN Leibn. Marg. 29, [89] - -
PUBLIC DOMAIN